

ACTA GENERALIS VIII. SYNODI.

mutaretur, curauit. Et non solum alijs, verum etiam sibi ipsi interdixit. Quod plane patet ex eo, quod verbum, Deiparam, diuino symbolo noluerit addere. Nam etiam in ipso includeret, ac valde necessarium esset, ut eidem apponeretur, nisi posterioribus exemplo se voluit esse, suum decretum re ipsa confirmandos, quibus ut praedictum est, propter imperium Nestorij dogmata, magna necessitas irgeret, ut symbolo nomen illud apponeretur, cum pferitum ab eo potentia contineret. Nam haec, filium esse consubstantialem patri, ac ipsum de consubstantialis descendisse, & incarnatum de spiritu sancto ex Maria virgine fuisse, deum ipsum ex sancta virgine natum esse significant. Ergo nomen hoc, dei genitrix, etiam symboli declaratio esse poterat, haud tamen additum fuerat. Sed quispiam forsitan diceret, id ideo additum non fuisse, quod a symbolo clare contineretur. At alia quoque complura fuerant, quae quamuis a symbolo non tam clare continerentur, ea tamen postea declarata fuerant, synodi symbolo neuitque addiderunt. Nam neque filij dei cum assumpta natura nostra secundum hypostasim vnionem, de qua tertium generale concilium, neque dominum nostrum Iesum Christum duas post ipsam vnionem naturas inconsumptas seruasse, de quibus quartum; neque duas voluntates, operationesque duas habuisse, de quibus sextum tractauerat, diuino symbolo addiderunt. Quis ea omnia diuinae scripturae pluribus in locis non clare scripta fuerint. Neque igitur, quae non a symbolo manifeste continerentur, eidem addita fuisse videntur, neque quae clariora essent, tertia synodus ipsi symbolo apposuerat. Nulla ergo ratione quicquam licet apponere symbolo, quod quidem caetera post tertium concilium generalia summa cum veneratione seruauerunt. Si qua tamen vobis ambiguitas in septimi concilij libro videtur esse, eam suo loco diffusius declarabimus, & ipsum concilium caetera fuisse sequutum probabimus. Quod tantum abfuit, ut symbolo quicquam apponeret, ut cum caetera concilia declarationes suas, cum his, quae declarabant, conuenienter solerent describere, eaque simul cum declarationibus memoratae tradere, ipsi soli conuenientius visum fuerit, intacta primitiua scriptura, suas eiusmodi declarationes literis separatim madatae. Licet nonnulli doctores, praesertim hi, quibus ante tertium concilium declarandi facultas fuerat, quadam adducti necessitate, diuersa ratione suis declarationibus vsi fuerint, cum praesertim nondum fuerit interdictum. Hoc autem Pauli dictum: Si quod vobis aliud praeterquam quod tradidi vobis, euangelizatus fuerit, anathema sit, neque contra maiores nostros, neque prorsus in nos facere videtur, quoniam quidem Paulus aliam fidem tradi vetuerat, maiores vero nostri fidem diuersam nequaquam docuerant. Qui quidem Pauli sermo in omnes, quae declarandi facultatem habent, vel in posterum habere crediderint, verus est. Propositum autem nostrum partim simile, partim dissimile videtur esse, pro ea interdicendi necessitate, quam tum fuisse probauimus. Quod autem dicitis beatum Gregorium sanctos primi generalis concilij patrum fidei, nil voluisse vel potuisse praeserere, non nil tamen de sancto spiritu declarasse, quod tibi dictum obscure fuisse videtur, vobis respondemus, eum non aliam fidem exposuisse, quae declarandi facultatem haberet, quae in ea synodo esset, quam constat ante prohibitionem fuisse. His igitur auctoritatibus, quae ante tertiam synodum proditae fuerant, nequaquam potestis inniti. Si qua vero synodus post ipsam, symbolo dictionem vel syllabam aliquam addiderat, id obsecro nobis ostendite. Quod si profecto non potestis probabit, absque ulla controversia in vestram sententiam ibimus. Sed id certe nunquam probare poteritis. Cuncta enim ipsarum synodorum acta meridiana luce sunt clariora, posteriorumque patrum sententiae actis ipsis quam maxime consonae videntur: quippe qui quis abstrusa quam plurima dicta necessario declarauerint, nil tamen prorsus diuino symbolo apposuerant, sed rectam rationem inueniant, quae quae opus essent, bene considerent, simulque maiorum suorum religionem intacto sacro symbolo, sed verba tantum eius ambigua exponentes, summa cum veneratione seruarent. Ex quo quidem nullum vnquam Christianis incommodum accidere poterit, quod ipsi valde timere videmini. Vna igitur ac eadem ratione maiores nostri fidem dilucidantes, magno Christianis commotio fuerunt, & symbolum non tangentes, maiorum suorum terminos minime transgressi videntur esse. Quod autem idem magnus in theologia Gregorius literis madatauit, nullam syllabarum dictionumve rationem habere, id plane nihil ad propositum pertinet. Ipse enim de dictionibus illis loquutus est, quae rem vnā significant, quaeque de vno eodemque subiecto praedicuntur, quae admodum sunt hypostases, personae, proprietates, de quibus is loquebatur, quae quidem rem vnā ita significat, ut his duae, sunt quatuor necesse est ut vestis pallij & indumentum: quod a nostro proposito alienum esse videtur. Alia est enim

Galat. 1. b

patrum